

runt eum cum igne, insufflantes donec fuit penitus liquefactum, in aliud crucibolum descendens inferius perforamen. Tunc Rex ita de morte ad vitam resurgens, magna voce clamauit, & dixit: Vbi sunt inimici? Sciant quod omnes interficiam, nisi mihi obedientes adueniant sine mora. Omnes igitur audientes, venerunt coram eo, dixerunt: Domine ecce parati sumus vestris in omnibus obedire mandatis. Itaque ab illa hora ut antea: Reges omnes & potentes aliarum regionum honorauerunt & timuerunt eum. Et quando volebant videre de mirabilibus eius, ponebant in crucibulo vnicuique vnam Mercurij bene loti, & proieciabant de super tanquam vnum granum milij de vngulis, vel de capillis, aut de sanguine suo, & sufflabant leuiter cum carbonibus, dimittebant eum in frigidari cum eis, & inueniebant lapidem qualē ego scio. De quo lapide proieciabant parum super Saturnum purgatum, & statim mutabatur forma eius sicut scio. De quo postea ponebant partem vnam super decem Veneris, & erat totum vnius coloris & bonitatis. Item aliter: Accipiebant dictum lapidem tritum, & miscebant cum sale, & Sole sicut prius, & liquefaciebant eum, & proieciabant dictos sales solutos in sero caprino, & tunc fiebat optimum ad omnia. Custodi frater hunc tractatum, & serua bene, quia truffa est optima inter stultos, & non truffa inter sapientes. Hæc enim est via Regum trium dierum, quoniam parum laboris sustinentes, magnum lucrum desiderant obtinere. Laudes Creatori maximo referamus, qui fidelibus suis grauitate inspirauit, accidentia pro velle in substantijs transmutare, & ut quod in potentia rebus latitat, ad actum reduci valeat sapienter.

Allegorie Merlini finis.

RACHAL.